

Adolebis, inquit, sic, cum subegeris regiones eas, ubi thura nascuntur; interea utere parce praesentibus. Postea Alexander, Arabia, regione thurifera, redacta in ditionem suam, memor reprehensionis, olim factae a Leonida, misit ei thura multa odoresque alios, admonuitque, ne vellet post-hac esse parcus in honoribus deorum.

CAPUT. VII.

IMPII NON PLACANT DEUM DONIS.

1. *Donis impii ne placare audeant deos: Platonem audiant, qui vetat dubitare, qua sit mente futurus deus in se ipsos, quum vir nemo bonus ab improbo se donari velit.*

Jucundum non esset viro probo, accipere dona, quae non ignoraret dari animo malo. Si pietas adsit, nihil non potest esse gratum deo: contra autem, si desit.

« Atque hoc scelesti illi in animum inducunt suum,

« Jovem se placare posse donis, hostiis;

« Et operam, et sumtum perdunt.

Bias navigabat aliquando cum impiis: quum vero, tempestate exorta, navis quateretur fluctibus, illique invocarent deos: Silete, inquit, ne vos hic illi navigare sentiant. Idem respondit nihil homini impio, percontanti, quid esset pietas. Quumque ille sciscitaretur caussam silentii: Tace, inquit, quia de rebus nihil ad te pertinentibus quaeris.

2. *Puras deus, non plenas adspicit manus.*

Pietate, et religione, et justis precibus deorum mentes, non contaminata superstitione, neque ad scelus perficiendum caesis hostiis possunt placari.

Cap. VII. Cie. Legg. 2, 16. — Hierocl. in Pyth. carm. — Plaut. in Rudente Prolog. v. 22 ss. Diogen. Laërt. 1, 86. — P. Syr. 701. — Cie. pro Cluent. 68.